

collegiatas infra et prope muros Hildensemenses existentes, in quibus beneficiati existunt, absque religione consueta visitent quoquo modo, sed volumus et mandamus pena sub predicta, ut ad eas accedant cum religione solita clericaliter et honeste.

§ [14]. Item mandamus districte universis<sup>a)</sup> et singulis curatis nostrarum civitatis et diocesis, quatinus capitulum<sup>1)</sup> ‚Omnis utriusque sexus‘ de penitenciis et remissionibus secundum sui communem intelligenciam suis parrochianis recitent<sup>b)</sup> et materna lingua exponant et mandent inviolabiliter observari.

§ [15]. Item mandamus districte, statuta provincialia in nostra diocesi secundum omnem sui formam presertim capitulum<sup>2)</sup> Alexander de raptoribus in § ‚Item a nonnullis in dubium revocatur‘ et cetera contra ecclesiasticarum personarum spoliatores editum in declaratione et prosecutione hujusmodi spoliis districtius observari.

§ [16]. Insuper monemus et requirimus ac canonicè et peremptorie citamus omnes et singulos, qui ab olim nostras sinodos visitare consueverunt, pro nunc absentes, ut infra quindecim dies nostram presentem sinodum immediate sequentes coram nobis Sturwoldi compareant aut commissario nostro rationabiles causas sue absencie ostensuri, alioquin dicto in termino elapso secus facientes et nostris mandatis in hac parte rebelles sentenciis suspensionis ab ingressu ecclesie innodemus.

a) pag. 102. b) Hdschr. recitant.

1) Decr. Gregor̄ IX Lib. V Tit. XXXVIII cap. 12. 2) Die Quelle dieses Citates habe ich nicht ermitteln können.